



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

S. Matthiæ præpotens ac magnificum hodie extra muros Treverenses
cœnobium ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

fluentem Mosellam, ad deturbati inde Apollinis ac melioris Numinis suffecti memoriam ad posteros conservandam.



S. MATTHIÆ præpotens ac magnificum hodie extra muros Treverenses cœnobium monachorum Benedictini instituti & reformationis Bursfeldensis, inchoatum est annum Christi circiter 700. dictumq; antiquitus **S. Eucharii** cella, à **S. Euchario I.** S. Eucharius I. doctor Treverorum. Trevirorum doctore & Episcopo, qui ex **LXXII.** Discipulis unius à **S. Petro** cum aliis duobus, **Materno & Valerio**, Treverinæ Senatricis cujusdam filium defunctum ex mortuis resuscitavit: pro quo beneficio cum dediisset foemina domum suam sancto Dei viro, ipse mox ex illa ipsa domo privata publicum eorum (qui jam Christo inferti erant) templum faciens **S. Joanni Evangelistæ** id ipsum dedicavit. In hac domo & in hoc ipso templo **S. Eucharius** habitavit: in hac mortuus, mox ab auditoribus in subterraneam templi cryptam positus ibiq; humatus est, in quem locum omnes postea ejus successores Episcopi Treverensesq; ad **Valentinum**, vicesimum sextum Antistitem, collocati & deportati, ibiq; decenter humati sunt, tumulis & Mausoleis quindecim amplissimis parietis cryptæ eleganter insertis, quæ non nisi cum multa admiratione videri possunt. Extat hodie adhuc in cœmiterio quodam cœnobii hujus parieti insertum idolum quoddam saxeam sive **Diane**, sive **Veneris**, à **S. Euchario** de- Diane idolum. jectum & contractum: juxta id legitur hoc barbarum epigramma, etsi non integrum: perierunt enim aliqui versus.

*Me pridem Treberis prophanis coluit aris
Sacrilegi numinis: jam truncus spernor inanis.
Prostrata spernor, piscator dum legat, error
Tollitur, Eucharium, Maternum, Valerium tunc.*

Addita est vero à recentioribus Abbatibus Germanica etiam epigrapha in hunc modum:

*Wolt jr wissen/was ich bin/
Ich bin geweest ein Abgöttn.
1772*

Do

Do S. Eucharis zu Trier quam/
 Ehr mich zübrach/ mein Eher abnam.
 Ich was geehret/ als ein Gott/
 Jetzt stan ich hie der Welt zü spott.

Coemiterium vero S. Eucharis duas habet subterraneas cryptas, in quibus plurima veterum heroum & sanctorum Dei amicorum cernuntur Mausolea & magnifica sepulchra: unum vero præcipue cum Liliis saxo incisus, quæ Regem Gallia ibi cubare testantur. Perit incendio hæc cella S. Eucharis circa annum Domini 330. sed restituitur paulo post à S. Agricio, Archiepiscopo Trevirorum XXVII. qui corpus S. Matthiae Apostoli Treverin afferens in eam cellam transtulit, quam deinceps S. Matthiae monasterium appellandam censuit. Everfa vero tandem ab Attila, Hunnorum Rege (qui se metum orbis & flagellum Dei dicere non erubuit) tota ferè Treveri, cella hæc S. Matthiae etiam solo æquata est, quam mox tamen Cyrillus, tricesimus septimus Trevirorum Antistes, non solum reparavit, sed & auxit & ampliavit, sibiq; tumultum illic prope antecessores suos constituit. Monastica verò congregatio coepit illic paulo post hujus Cyrilli tempora, & fuisse in ea multos eximie doctos ac admodum diligentes monachos, testatur hodie adhuc incomparabilis hujus monasterii Bibliotheca. Mox Gallia Regum & Episcoporum Treverensium accessit liberalitas ac munificentia, qua & ditatum & egregie illustratum est gymnasium S. Matthiae. Habet hoc præ cæteris plurimis ornamentis, 28. fontes optimos ac limpidissimos, omnes ex una scaturigine ortum & initium sumentes. Abbatum autem tam amoeni loci primorum & vetuliorum omnia nomina interciderunt: qui vero ab Egberti Archiepiscopi temporibus ad hæc nostra usq; præfuerunt, eorum nomina hic subungere libuit, cum brevi cujusq; annalium commemoratione.

S. Mat-
thiae cor-
pus.
Attila
Huanus.

Series
Abbatum. 1. *Gotherius* Abbas, ex Gandensi coenobio accersitus, anno 977. ab Archiepiscopo Treverensi Egberto ordinatur. Præfuit an. 13. Hoc regnante, donodedit prædictus Episcopus S. Materno villam Longosuram cum attinentiis an. 979. anno Episcopatus Egberti V. Obiit Gotherius anno Domini 990. 2. Ri-

2. *Richardus* constituitur Abbas anno 991. Præfuit annis 33. Obiit octavo Idus Augusti anno Domini 1024.
3. *Bertholfus* eligitur anno 1024. Præfuit annis 26. Sub hoc Abbate donodedit Jutta, Ducissa & Marchionissa Lotharingæ, & maritus ejus Adalbertus Manendorffum cum attinentiis, & quasdam alias curtes sub Archiepiscopo Poppone. Obiit Bertholfus anno Domini 1050.
4. *Reginardus* successit. Præfuit annis 12. Decessit anno salutis 1062.
5. *Robertus* eligitur in Reginardi successorem anno 1062. *Episcopus Treverensis trucidatur.* Præfuit annis 12. Sub ejus gubernatione trucidatur S. Cono-
Episcopus à Treverensibus anno Domini 1066.
6. *Bernardus* Abbas fit anno 1074. Præfuit annis 23. Obiit 8. Kalend. Martii anno Christi 1097. Sub eo concrematum est monasterium S. Paulini (quod hodie Canonicorum collegium S. Paulini est) in Kalendis Augusti anno 1093. *monasterium.*
7. *Everwinus* vel *Everwinus* fit Abbas anno 1097. Præfuit annis 13. *Episcopus S. Paulini.*
8. *Eberhardus* primus, dictus de Kamberg, eligitur anno 1110. Præfuit annis 19. Obiit quinta Idus Martii. Fuit instaurator magnificus cœnobii, quod dejecto veteri renovavit, auxiliis Brunonis Episcopi anno Domini 1113. Ejusdem Abbatis *Corpus S. Matthiæ Apostoli, an. 1126. S. Matthiæ Apostoli inventum.* temporibus inventum est corpus S. Matthiæ Apostoli, an. 1126.
9. *Bertholfus* secundus eligitur anno 1129. Præfuit annis 26. Supplevit & absolvit ædificia ab antecessore inchoata. Consecrari fecit novum templum à Pontif. Max. Eugenio III. anno Domini 1142.
10. *Siboto* vel *Siboldus* fit Abbas anno 1155. Præfuit annis 32. Obiit in vigilia trium Regum.
11. *Ludovicus* Abbatæ præficitur anno 1187. Præfuit annis 20. Legitur fuisse fundator vicini suo cœnobio Hospitalis. Obiit ipso die Sylvestri Papæ. Præfuit Epternacensi etiam cœnobio ab anno Christi 1173. usq; ad annum 1181. per octennium nempe, & Treverin redit.
12. *Godefridus* successit Ludovico anno 1207. Præfuit annis 4. Obiit 4. Idus Martii. Kkk 3 13. Ja-

13. *Jacobus* fit Abbas anno Domini 1211. Præfuit annis 46. Construxit facellum B. virginis, in quo sepultus est. Obiit tertia Nonarum Julii. Sub hoc Abbate dono dedit Arnoldus, Archiepiscopus Trevirorum, monasterio montis S. Mariæ juxta Boddobrigam, hodie Poppardiam vocant, Ecclesiam Nenningensem, ut per id monialium paupertas sublevaretur.

14. *Theodoricus* Abbas factus est anno Domini 1257. Præfuit annis 30. Expellitur cum fratribus ex monasterio per Henricum Archiepiscopum, qui expulso subrogat quendam S. Maximini cœnositam, D. Guilielmum de Meisenborch: sed à Pontifice Romano Urbano IV. restitutus cum honore rediit tandem, qui erat injuste expulsus.

15. *Alexander* eligitur anno 1287. Præfuit annis 19. Obiit septimo Kalend. Junii.

16. *Fridericus* primus eligitur anno 1306. Præfuit annis 12. Obiit in Kalendis Novembribus. Sub eo tanta fuit anno Domini 1315. fames & pestilentia in diocesis Treverensi, Coloniensi & Moguntinensi, ut multi homines etiam fame perierint, ne quid dicam de pecudibus, quia per duos annos continuæ penes pluviam nimium inundant & obruerant terram.

17. *Eberardus de Warnesberg* designatur Abbas anno Domini 1318. Præfuit annis 15. Obiit anno Domini 1333. in profesto Urbani Papæ. Sepelitur in sinistra parte ad aram omnium Sanctorum à se conditam. Fecit sedilia in choro & campanam maximam, quam vulgo Benedictam (quod in honorem ejus monachorum patris sua sit) incolæ vocant.

18. *Fridericus de Heinsenberg* eligitur anno 1333. Præfuit annis 11. Obiit 16. Kalendarum Septembrium.

19. *Henricus*, natus de Rodenmachern, fit Abbas anno 1344. Præfuit annis 7. Obiit ipso die Conversionis Pauli, sepultus ad S. Benedictum.

20. *Waltherus de Menga vel Megingen* eligitur anno 1351. Præfuit annis sex. Obiit 5. Septembrium anno Domini 1357. Sepultus in sinistro latere altaris omnium Sanctorum.

21. *Joannes de Waldersingen* successit *Walthero* anno 1357. Præfuit annis 9. Obiit in die *Nicomedis*.

22. *Jofridus*, Comes da *Leiningen*, designatur Abbas anno 1366. Præfuit annis 44. Obiit anno Domini 1410. altera *Valerii* Episcopi: sepultus in latere sinistro altaris *S. Helenæ* sub *Chunone*, Archiepiscopo *Trevirorum*. Reliquias omnes auro & argento vestivit, quarum ostensionem primus cœnobio isti introduxit cum *Chunonis* Archiepiscopi consensu, à *Papa Bonifacio IX.* impetratam, apud quem pontificalia etiam ornamenta omnia obtinuit.

23. *Eberhardus de Hobenegk* eligitur anno 1410. Præfuit annis sex. Obiit in die *S. Cæciliæ*. Sepelitur ad aram *S. Helenæ* ad caput *Gotfridi* Abbatis.

24. *Herbrandus de Gulfa* eligitur anno 1416. Præfuit annis duobus & 3. & propter reformationem resignavit, Priorq; factus est ad *S. Maximinum*, ubi in ambitu sepultus est juxta gradus versus introitum chori.

25. *Ioannes Rhodius* de *Treveri* eligitur anno 1419. vir sacrarum literarum studiosissimus & doctissimus, Juris item Canonici peritissimus, moribus & conversatione devotus, regularis observantiæ *Bursfeldensis* per totam Germaniam instaurator & utriusq; sexus monasteriorum per totam *Rhenensem* provinciam reformator celeberrimus. Studuit *Heidelbergæ*, ubi sacræ Theologiæ *Baccalaureus* & *Pontificiorum Canonum Licentiatus* effectus, tandem *Ecclesiæ Metensis* *Canonicus* & *S. Simeonis* apud *Treverin* *Decanus*, curiæq; *Trevericæ* officialis designatus est. Tandem pro Christi amore omnia mundi contemnens *Carthusiam* extra *Treverin* sitam ingressus, post aliquot annos ab Archiepiscopo, jussu & auctoritate *Papæ Martini V.* inde extractus & *Abbatia S. Matthiæ* præfectus est, introductus anno 1421. Præfuit ab eo tempore 18. annis feliciter & utilissime. Scripsit multa opuscula, pro reformatione monachorum constitutiones utiles, librum unum: de qualitate Abbatis librum unum: In *Genesis* librum imperfectum: & alia plurima. Obiit extra monasterium in oppido *Monthabur*: relictus tamen anno Domini 1439. Kalen-

Kalendis Decembribus: sepultus ante aram S. Stephani Protomartyris cum tali epitaphio:

Hic jacet in tumba vas ordinis, alta columna,

Abbas donatus Joannes Rode vocatus.

Collectis membris primo succumbo Decembris,

Tricesimo nono C quater M quoq; solo.

Sub ejusdem gubernatione cives Treverenses anno Domini 1432. plurimum fuerunt injurii cœnobio S. Matthiæ. Pater vero hujus Abbatis, Joannes Rode, civis Treverensis, & mater Catharina dono dederunt cœnobio 400. Rhenenses & alia plurima.

26. *Joannes Vorst* designatur Abbas año Domini 1439. Præfuit 4. annis, & Coloniam avocatur à monastica congregatione S. Pantaleonis, ubi Abbas designatus est.

27. *Henricus Wolffius de Spanheim*, monachus B. Mariæ ad Martyres, cœnobii extra Treverin fiti, eligitur Abbas anno 1443. Præfuit annis 8. Obiit 8. Iduum Aprilis. Sepelitur prope aram S. Stephani cum tali epitaphio rudi & barbaro:

Anno milleno cum C quater, L quoq; primo,

De Spanheim natus, Henricus Wolff vocitatus

Hic confer vatus, & vermibus esca paratus,

Abbas Mariæ translatus eratq; Matbie.

28. *Joannes Donorius*, à tonitru dictus, de Aldewasser oppido juxta inferius Trajectum sito oriundus, monachus in Himmelrode ordinis Cisterciensis præpotenti Eifliæ cœnobio, profectus postea ad S. Matthiam sub Abbate Henrico Lupo, fit Abbas tandem anno 1451. ad instantiam & petitionem Domini Jacobi Sirgk, Archiepiscopi Treverensis. Præfuit annis 33. Obiit Colonix ipso die Bernhardi Abbatis, sepultus in monasterio S. Martini Colonix, in medio choro prope Abbatem ejus loci Adammum. Sub eo incorporatum est monasterio S. Matthiæ cœnobium Benedictinæ professionis monialium S. Germani, intra urbis Treverensis muros situm, in cujus templo honorifice sepulta cubat Domina Gerasina, Siciliæ regina, matertera S. Ursulæ. Incorporatio hæc facta est anno Domini 1478. Nunc abolito monia-

Himmelrode Cœnobium.

S. Germani cœnobium & Gymnasium Treverense.

monialium coetu insignis ibi schola est, in qua hoc tempore docti aliquot viri, Canonici seculares, publice sacras & philosophicas litteras magna laude profitentur, quorum rector erat, quo hæc scripsi tempore, egregie doctus vir, *D. Joannes Oenipontanus*, liberalium artium magister. Anno 1464. data fuit Domus dotis ad S. Medardum, vulgariter dicta *der Wedemhoff*/ tororibus ibidem volentibus habitare, ab hoc Domino Joanne Tonitru Abbate, pro sex tantum personis illic Deo servituris. Primæ sorores fuere *Elisa & Agnes de Bacharacho*, filia *Ewaldi de Bacharach*, civis cujusdam Colonienfis. Postea anno Domini 1496. data est iisdem sororibus, in vicinia S. Matthiæ ad S. Medardum habitantibus, potestas recipiendi in recens inchoatum monasterium 32. sorores.

29. *Antonius Lewenius* de Trajecto inferiori eligitur in Abbatem S. Matthiæ anno Domini 1484. in profesto S. Bartholomæi. Præfuit laudabiliter & utilissime annis 35. & mensibus sex. Obiit anno restitutæ & denuo patefactæ gratiæ 1519. decimo Kalend. Aprilis. Sepultus est ante aram S. Antonii à se constructam. Is templi adhuc præsentis ac incolumis longeq; magnificentissimi conditor est, quemadmodum & Bibliothecæ: item insignis & eleganter ac sumtuose fabrefactæ vereq; admirandi operis tabulæ, quæ est triplex in ara S. Matthiæ.

30. *Eberhardus de Campis*, Abbas doctus & moribus optimis præditus, qui & plurima scripsit, quibus nomen suum ad posteritatis notitiam cum summa laude ac gloria transmisit, eligitur in Abbatem anno 1519. ipso die Annunciationis Dominicæ. Præfuit laudabiliter annis 7. Obiit anno 1526. eodem die, quo antea electus fuerat in Abbatem. Sepelitur ad aram S. Agathæ.

31. *Petrus Olivie* successit Abbati Eberhardo. Præfuit annis 7. mensibus 3. laudabiliter. Construxit novam Abbatiam & alia multa: plurima ab antecessoribus amissa recuperavit. Obiit anno 1533. Kalendis Junii.

32. *Joannes à Witlich*, Vitelliaco arce Trevirorum Archiepiscopi, quam Vitellius Imperator condidisse legitur, vir doctissimus, eligitur ipso die Barnabæ, 11. Junii anno 1533. Præfuit annis quatuor & undecim hebdomadis. Obiit anno 1537.

LII

33. Lam-

S. Medardum
monialium-
cenobium.

33. *Lambertus à Falckenburg* eligitur año 1537. vicesima Augusti. Præfuit utiliter annis quinque. Obiit peste unâ cum septem fratribus officiatis, penultima Julii anno 1542. Fuit vir doctus & bonus sui cœnobii gubernator.

34. *Henricus à Consuentia* eligitur anno Domini 1542. nona Septembrium. Præest adhuc currente hoc Jubileo fideliter & laudabiliter. Habet germanum fratrem *Andream*, Abbatem cœnobii *Erbacensis* in *Ringovia* longe potentissimi. Et ingressi sunt hi duo fratres uno ac eodem anno in ordinem, uno etiam eodemque anno quasi singulari fato duabus diversi tamen ordinis Abbatibus potentissimis præfecti.

Pontis Leonini Cœnobium.

Est medio ferè itinere inter urbem *Treverensem* & hoc *S. Matthiæ* cœnobium, aliud etiam monasterium *Cisterciensis* instituti nobilitum monialium ad *Oleachium*, seu, ut hodie barbarum vulgus vocat, *Lewichium* fluviolum situm, antiquitus *Pons Olei*, ab oleo, quod ibi fluxisse legitur, quando *S. Eucharius* & *Maternus*, primi doctores & *Episcopi* *Trevirorum* urbis, in hoc ipso fluviolo baptisarent: postea vero *Pons Leonis* dictum, quod ad hunc fluviolum, & in ipso duorum fornicum saxeo ponticulo, *Leo IX. P. M.* patria *Germanus* & *Comes à Dagsburg*, *Treverin* ingressurus, ab *Archiepiscopo*, clero & populo *Treverensi* exceptus & inde illustri pompa in urbem deductus est. De hujus tamen cœnobii, quod quinquaginta olim nobiles puellas aluit, prima origine nihil certi dici potest, nisi quod ante trecentos annos aliquando vastatum, paulo post restitutum dicitur à *Domino Ortolpho Schulero*, *Scabino Treverensi*, tandem etiam *Treverensium Scabinorum* magistro, qui obiit anno Domini 1322. Nonis *Martii*. Is in hoc ipso cœnobio honorifice sepultus. habetur pro secundario ejus loci fundatore, cujus *Abbatissarum* talis à me annotatus est catalogus.

Abbatissarum descriptio.

1. *D. Gertrudis.*
2. *D. Agnes à Dann*
3. *D. Elisabeta à Dannen* } nobiles.
4. *D. Catharina de Auffheim, Treverica.*
5. *D. Elisabeta à Keimich, nobilis.*

6. *D. Mar-*

6. *D. Margareta* à Threis, nobilissima ædificatrix chori & refectorii, anno Domini 1474. bene de hac monialium congregatione merita.

7. *D. Maria de Bringen*, nobilis.

8. *D. Hildegardis* à Stetziis præfuit quinq; annis, laudabiliter restituens collapsum & ad pauperiem redactum monasterium suum.

9. *D. Anna Treverensis*, patre Scabino & consule Schleis-hoff dicto nata, præfuit ut optima gubernatrix annis 37. Obiit anno Domini 1542.

10. *D. Margareta* successit statim *D. Annæ*, nobilis & magnifica Domina à Zweifel, egregia sui cœnobii illustratrix, quæ præfidet hoc adhuc currente Jubileo. Data sunt huic cœnobio privilegia anno 1289. à Pont. Max. Nicolao IV. & à Gerardo, Archiepiscopo Moguntino, ac Boemundo, Archiepiscopo Treverorum. Oleachus fluviolus ponte faxeo connexus confluit cum Mosella paululum supra pontem Mosellanum perveterem (à Dagoberto enim Francorum Rege conditus legitur) ac ex quadrato solidog; lapide maxime insignem. In hoc faxeo ducentorum passuum longitudinis & quinq; amplissimorum fornicum ponte fama est, & ex aliquibus in Mosella ab utraq; parte prope pontem hodie adhuc stantibus faxeis columnis liquido apparet, extitisse antiquitus unius tantum testudinati arcus pervium viatoribus sacellum, in quo ferreum Mercurii Idolum inter duos attractentes ferrum magnetes pependit cum hac inscriptione:

Pons Trevericus.

Sacellum Mercurii in Ponte.

Ferrens in vacuis pendens Caducifer auris.

Inter hos duos pontes, Oleachii videlicet & Mosellæ, extat & hac adhuc ætate visitur omnium Treverensium templorum vetustissimum, *Pontis templum* vulgo, antiquitus *Centiphantum* dictum. Id à Trebeta, Nini Assyriorum Regis filio & Semiramidis Reginae privigno, primo Treverensis urbis authore conditum ac centum dæmonibus dicatum fuisse legitur. In hujus fani vicinia extant hodie adhuc altissimi muri, ex costili lapide in sublime educti, maximæq; ruinæ vetustæ arcis & regii cujus-

dam domicilii longe amplissimi, à Galliarum regibus olim conditi ac habitati.



*Theologorum
schola.
Wendelin.*

S MAURICII Tholegiense coenobium, instituti Benedictini, antiquitus Schola & Ecclesia Theologorum dictum, prope S. Wendelinum (quod oppidum Lotharingiæ est, à S. Wendelino, Scotorum Regis cujusdam filio ac Theologiensi monacho, conditum ac cognominatum) sub veteri Schumburgo Lotharingiæ Ducum præclaro castro situm, olim insignis ac celebris academia, in qua vigeant & sacrae & prophanæ literæ, nunc Benedictinorum monachorum amplissimum monasterium Trevericæ dioceseos, fundatum ac munificentissime donatum legitur anno Domini 627. à Dagoberto, Galliarum & Austrasiæ Rege potentissimo, consilio & auxiliis B. Modoaldi, Trevirorum Archiepiscopi: absolutum vero à filio hujus Dagoberti, Domino Sigiberto, Austrasiæ Rege: tandem etiam à S. Pirminio Episcopo & monacho præclare decoratum. Cubat in hujus coenobii media ecclesia D. Chuno, alibi Chunradus dictus, Archiepiscopus Treverensis, patria & natione Suevus: qui aliquandiu in carceratus, tandem anno Domini 1066. in Urtzeck à tyrannis quibusdam plebeiis, subditis suis, trucidatus & securi percussus est. Catalogus hujus gymnasii rectorum & Abbatum talis extat.

*Catalogus
Abbatum.*

1. Primi nomen intercidit: etsi sint, qui S. Wendelinum pro primo Abbate hujus loci habeant.

2. *S. Paulus*, Eremita primum in monte Gebenna prope Treverin, qui postea ab eo mons S. Pauli cognominatus est. Is Germani, Parisiensis Episcopi, germanus frater fuisse legitur. Factus est ex eremita Abbas secundus Theologiensis, tandem etiam Episcopus Verdunensis, cujus caput in Tholeja in magnis deliciis habetur & plebi certis festis ostendi solet.

3. *Grimo*, Regis Francorum Dagoberti frater, alio nomine Adelgesilus dictus.

4. *Leo.*

5. *Chietmericus.*

6. *Cranderigus.*

7. *Frodonius.*

8. *Herbertus.*

9. *Anodo.*

10. *Fide-*